

per doctrinam Capitis superioris occasum Solis altitudini propositæ inferuentem, exactè habueris, addito ei horas propositas maioris horologij, quæ videlicet ab occasu initium sumunt, & conflabis horas Astronomicas. Contrà, si ab horis astronomicis, antedictum occasum Solis dempseris, horas maioris horologij habebis. Memineris tantum, vbi per additionem 24. excreuerint, eas abijciendas esse, ac residuum retinendum. Deinde vbi subtractio fieri nequiverit horas 24. accommodandas esse.

Exempli gratia. Tempore antedictæ Eclipsis Lunæ, Occasus Solis, sub altitudine poli Vratislaviensi obtinet, per doctrinam capitis superioris, hor: 4. minu: 6. Eum cum ex horis Astronomicis 15. minut: 7. demo, quibus medium eclipsis Vratislaviæ constat, remanent horæ 11. minut: 1. quæ ad maius horologium referuntur.

Item in Eclipsi Solis, quæ anno Domini 1560. Die 21. Augusti fiet, Occasus Solis sub altitudine poli Prageni obtinet per doctrinam capitis superioris hor: 6. minut: 43. Ei cum horas maioris horologij 17. minut: 57. coniungo, quibus medium Eclipsis Pragæ constat, excrefcit hor: 1. minut: 40. quæ ad horologium Astronomicum referuntur.

Inuenitur & aliud maius horologium, quale apud Norimbergenses est. Id enim die ab ortu Solis principium numerationis sortitur. Nocte vero ab occasu. Reductio autem eius ad horas Astronomicas facilis est, sicut aliorum horologiorum. Nam cum die, ab ortu Solis, principium numerationis sumserit, addas horas propositas maioris horologij diurni, Ortui Solis, altitudini poli propositæ inferuenti, Cui tandem aggregato horas 12. adijcito, et emergent horæ Astronomicæ. Contrà antedictum ortum Solis, ab horis propositis Astronomicis subtrahito, à quo tandem residuo horas 12. abijcias, & relinquentur horæ maioris horologij diurni. Cum vero nocte ab Occasu Solis principium numerationis acceperit, addito simpliciter Occasui Solis, altitudini poli propositæ inferuenti, horas propositas maioris horologij nocturni, et excrefcant horæ Astronomicæ. Contrà subtrahas simpliciter antedictum occasum Solis, ab horis propositis Astronomicis, et remanebunt horæ maioris horologij nocturni.

Exempli gratia. Tempore antedictæ Eclipsis Lunæ, occasus Solis sub altitudine poli Norimbergensi obtinet hor: 4. minu: 13. Eum ex horis astronomicis 14. minu: 42. demo, quibus medium eclipsis Norimbergæ constat, & relinquentur hor: 10. minut: 29. quæ ad maius horologium nocturnum referuntur.

Item in eclipsi Solis, quæ anno Domini 1560. die 21. Augusti fiet, Ortus Solis sub altitudine poli Norimbergensi obtinet hor: 5. minut: 18. Ei horas maioris horologij diurni 8. minu: 7. coniungo, quibus medium eclipsis Norimbergæ constat, & colliguntur hor: 13. minut: 25. Huic demum aggregato cum horas 12. addo, emergunt horæ 25. minut: 25. A quibus 24. horis reiectis, remanet hor: 1. min: 25. quæ ad horas Astronomicas referuntur. Huius maioris horologij diurni ac nocturni vsus est, ut ego audio, in quibusdam etiam Italiæ locis.

DE LOCO LONGITVDINIS, AC LATITVDINIS

Planetarum vero, ad quodlibet tempus propositum inueniendo.

C A P V T XVIII.

OMnis motus longitudinis ac latitudinis Planetarum, qui in nostris Ephemeridibus è regione singulorum dierum mensis ponitur, ad meridiem duntaxat refertur. Si igitur tempus propositum exactè in meridie alicuius diei fuerit, motus omnium planetarum, absq; vlllo labore, exscribas, prout in Ephemeridibus assignati sunt, ex aduerso illius diei. Nam nulla penitus in illis variatio contingere potest. Quando autem tempus propositum aliquo die post meridiem fuerit, motus diurnos Planetarum elicias, qui dicuntur differentia, inter motum diei propositi et sequentis, id quod antea quoq; docuimus. Cum his motibus tabulas motus proportionalis, quæ competunt ♃, ♄, ♀, ☉, ♁, ♀ & ♁, ingredere, ac in superiori parte quantitatem numeri illorum motuum inquire. Quam vbi repereris, statim ibi subtus, horas Astronomicas propositas, cyphris grandioribus expressas, sumito: Minuta vero earum in linea collateralis sinistra. Quicquid autem angulus communis obtinuerit, hoc extra notabis ac motui planetæ vero, in Ephemeridibus assignato, ad meridiemq; diei propositi relato, addes, si is motus augetur: Vel ab eodem subtrahes, si minuitur, Et habebis motum planetæ verum, horis ac minutis temporis propositi exactè inferuentem. De